ALOYSII MANSI CONSULTATIONES.

ALOYSII
MANSI
PATRITII LUCENSIS
J. C. Præſtantiſſimi,
CONSULTATIONUM,
SIVE
RERUM JUDICATARUM,
IN QUIBUS NIHIL EST IMPRESSUM, QUOD prius non fuerit acerrimè diſcuſſum, ac in præcipuis Tribunalibus Doctiſſimorum Virorum judicio pluries confirmatum,

TOMUS PRIMUS.

CUM ARGUMENTIS, SUMMARIIS,
& Indicibus neceſſariis.

Ex Bibliotecha D.ni D. Joannes Antonii Samaniego

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

VENETIIS, M.DCCVIII.
Apud Paulum Balleonium
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

A LECTORI.

QUid hæres, ò Lector, animo, & ſupercilio? cùm nomen legis hominis prorſus novi, & ſine ullo nomine virtutis, aut laudis? Et jam riſum moves, & Satyram? Cave tamen, iterùm cave. Non enim mea, ſed Doctiſſimorum Virorum Judicia vellicaſti, & neſcis. Quæ mea ſunt, me Judice, latent. Quippe ſatiùs exiſtimavi ex ſententiis eruditiſſimorum Patrum optima quæq; congerere, quàm proprii meditamenta ingenii (quod video, quàm ſit exiguum) in plenam periculi aleam temerè producere. Non ex omni ligno Mercurium meum feci, nec de Bibliothecę meę pluteis, & forulis ęra minuta univerſa, quibus famam emerem, corrogavi, ſed quę tantùm ad Aſtreæ lancem ſeveriori examine impenſiùs explorata ad veritatis uſuram, & publici commodi cenſum eroganda fuiſſe putabam. Ex alienis uvis, fateor, vindemiam feci, fundi tamen Domino decimas honoris, & laudis perſolvi. Non enim hodie amplectitur facilè recentiorum temporum ſtudioſa multitudo, quæ ex hac legali doctrina traduntur, niſi commendaverit ea priùs clariſſimorum virorum Judicium; Et uti ſecum dolens exclamabat eruditiſſimus Cujacc. ſicuti rudes nummorum ęſtimatores, quibus quid adnumeratur, non ante ſibi ſatisfactum putant, quàm per menſarium aliquem explorent, an probi ſint nummi; ita Juris Noſtri Studioſi, ſi quid quis ex hac ſcientia promat, id priuſquam in arcam congerant, probari à probatis expoſcunt. Nec ego me talem agnovi, ut alios in verba mea jurare poſſe pręſumpſerim. Ne, quemadmodùm Salvianus Scriptorum ętatis ſuę nonnullos, ſic me Lector carpat, quòd cauſam tantùm egerim meam; & propriis magis plauſibus, quàm aliorum utilitati conſulens, illud pręſtare non tentarim ut ſalubris, ſed ut ſcholaſticus haberer, aut diſertus. Verè enim ſemper abhorruit animus meus ab iis Ingenii monumentis, quę velut Ægyptiarum Pyramidum moles delectant quidem artis, & ingenii miraculo, præterea nullo juvant uſu. Unde magna mihi ſpes illucet, honeſtam voluntatem, & conatum meum æqui, bonique conſultum iri. Quod ſi ſecus accidat, non propterea feciſſe pœnitebit, cùm ſciam plus imminere periculi bono Nomini, quàm malo; & moneat Vir ſanctiſſimus, *Quòd oportet non maledicta timere, ſed laudes*. Vale.

A R G U M E N T A
SINGULARUM CONSULTATIONUM,
Quæ in hoc primo Volumine continentur.

CONSULTATIO I.

CEdens poſt factam ceſſionem, quando poſſit liberare debitorem ceſſum, aut aliud facere in præjudicium ceſſionarii.

CONSULTATIO II.

Vendens, aut renuncians collivellario jura ſua utilis dominii, an ejus deficiente generatione comprehenſa per Jus accreſcendi vindicare poſſit Jura vendita contra hæredes emptoris, ſeu renunciatarii non obſtante evictione promiſſa.

CONSULTATIO III.

Executio ſententiæ an impediri poſſit petita reſtitutione in integrum ſtante cap. 109. 110 Statutorum Lucenſ. lib. 1. & ſi non fuerit petita in termino trium dierum juxtà Capitulum Rotæ 55. Et qua læſionis probatio requiratur.

CONSULTATIO IV.

Judex tertius Appellationis eligendus ex diſpoſitione cap. Rotæ Lucenſ. 29 an poſſit proferre ſententiam difformem ab aliis.

CONSULTATIO V.

Venditione facta, & non adhuc retradita, periculum an venditori, aut emptori cedat. Venditio de rebus numero, menſura, aut pondere conſiſtentibus facta, quando dicatur perfecta, & in his quando dicatur facta ad corpus, vel ad menſuram.

CONSULTATIO VI.

Electio facta ſecundùm conſuetudinem, & contra ſtatutum uſu non receptum valida eſt, & ſtatuta uſu non recepta quando ligent, vel non, & uſu recepta contraria conſuetudine quãdo tollantur, & ad hoc quãdo cõſuetudo dicatur legitimè introducta.

CONSULTATIO VII.

In calculanda legitima filiæ an ſint computanda data à Matre adhuc vivente titulo dotis alteri filiæ, & an hujuſmodi datio voluntaria, aut neceſſaria dicenda ſit. Paupertas diverſo modo juxtà diverſitatem caſuum probanda eſt; Dos congrua ex quibus exiſtimetur, & conſ. Altograd. 7. lib. 1. improbatur.

CONSULTATIO VIII.

Domino directo an detur manutentio contra hæredes ultimi emphyteutæ. Acquiſitio facta à Patre pro ſe, & filiis, an intelligatur etiam pro filiis in Religione profeſſis. Renunciatio quando realis, aut perſonalis dicatur. Stante reali renunciatione feudi, vel emphyteuſis, renuncians, aliis extinctis, an ſuccedat, ſeu revertatur ad Dominum.

CONSULTATIO IX.

Dos legata à Marito Uxori an debeatur ut legatum, ſi non ut dos, quia verè non ſit data; & quid ſi ſuperſtes poſt Teſtamentum vir uxori dotes legatas ſolvat. Legatum rei propriæ legatarii, quam tamen legatarius Teſtamenti tempore pignori dederat, ſed tempore mortis jam redemerat, an teneat.

CONSULTATIO X.

Venditor habita fide de pretio, decocto emptore, an vindicet res venditas uti Dominus, vel uti creditor pretii concurrat cum ceteris creditoribus. Quando dicatur habita fides de pretio.

CONSULTATIO XI.

Actio ad repetendum pretium rei venditæ, an competat contra eum, cujus mandato, & favore res empta per alium fuerit, licèt non expreſſo mandantis nomine, ſed proprio.

CONSULTATIO XII.

Emphyteuta quantum tempus habere debeat ad moram purgandam, & quando currere incipiat. Depoſitum quale eſſe debeat ad moræ purgationem ſufficiens. Caducitas an dicatur pœna. Coacervatio plurium ſummarum an fiat ad evitandam caducitatem. Receptio fructuum ab emphyteuta an inducat remiſſionem caducitatis incurſæ.

CONSULTATIO XIII.

Promittens ſolutionem *ſubito che l'haverà riſcoſſi da N.* an N. decocto, & non ſolvendo effecto teneatur de proprio, & an iſta promiſſio ſit pura, vel conditionalis.

CONSULTATIO XIV.

Filiæ fœminæ primi matrimonii an excludantur à maſculis ſecundi matrimonii à ſucceſſione, vel legitima in bonis Parentum, attenta præſertim diſpoſitione ſtatuti Lucenſ. in c. 21. 22. lib. 2. ſtatuta excludentia à ſucceſſione fœminas propter maſculos an ratione conſervationis agnationis, an verò ſolo favore maſculini ſexus hoc ſtatuant. Fœmina ex ſecundo matrimonio jam nupta an faciat partem favore fratrum ejuſdem matrimonii tantùm, vel etiam favore fratrum alterius matrimonii. Fœmina à ſucceſſione excluſa per ſtatutum Lucenſ. capit. 9. libr. 2. propter maſculos an faciat portionẽ in legitima favore eorundem maſculorum. Dos loco legitimæ quando à ſtatuto reſervatâ dicatur.

CONSULTATIO XV.

Dos data per Avũ, vel Aviã Nepti an filio imputetur in legitimã.

CONSULTATIO XVI.

Alienationes factæ in vita à Parentibus, aut pecuniæ in aliis expẽſis conſumptæ, vel fortè etiam in Eleemoſynis erogatæ, an computentur in calculanda legitima filiorum, præſertim in hæreditate Matris, ſtante diſpoſitione cap. 21. lib. 2. ſtatuti Lucenſ.

CONSULTATIO XVII.

Error in nomine, cognomine, artificio, Patria, vel Parochia, legatarii, hæredis, rei legatæ, aut rei ſtipulatæ an vitiet Inſtitutionem, legatum, aut ſtipulationem. Adjectio bonorum, ex quibus legatum ſolvendum eſt, an limitativè, vel demonſtrativè fiat.

CONSULTATIO XVIII.

Statutum Lucenſe de ſolvenda Gabella prælegatorum an gravet ſubſtitutum, cum primus Inſtitutus eſt immunis.

CONSULTATIO XIX.

Ceſſio nominis Creditori quando debitorem cedentem liberet. Literas cambii dans an liberetur, donec ſequatur earum ſolutio.

CONSULTATIO XX.

Donatio an cauſa mortis, vel inter vivos dicenda ſit. Donatio facta à Patre filio an valida ſit. Juramentum unicum in Inſtrumento, quando ſuppleat plures defectus. Patria poteſtas an præſumatur, ſeu probanda ſit. Donatio facta abſenti an, & quando ſit revocabilis. Donatio quando acceptata præſumatur. Revocatio donationis an fieri poſſit in præjudicium ſubſtitutorum. Præſens principio Inſtrumenti, an præſumatur quoque præſens uſquè in finem. Præſentia an ſufficiat, ubi requiritur conſenſus expreſſus. Filiorum appellatione an fœminæ contineantur tam in ultimis voluntatibus, quàm in contractibus.

CONSULTATIO XXI.

De eadem materia, & eædem concluſiones in proxima præcedenti Conſultatione firmatæ hic in contrarium loco dubiorum adducuntur.

CONSULTATIO XXII.

Eſt deciſio cauſæ in præcedd. duabus Conſultationibus agitatæ, ubi veritas prædictarum concluſionum, quæ ſit, oſtenditur, & approbatur.

CONSULTATIO XXIII.

Caducitas propter deteriorationem contra emphyteutam quando competat. Per receptionem canonis quando caducitas propter deteriorationem incurſa remiſſa cenſeatur.

CONSULTATIO XXIV.

Filius rogatus reſtituere totam hæreditatem acceptando hæreditatem, & non ſeparando legitimam an dicatur ſe obligaſſe oneri reſtituendi legitimam. An liceat debitori, in præjudicium creditorum repudiare legitimam, hæreditatem, legatum, aut aliud lucrum; ubi tota materia exactiſſimè cum conciliatione textuum diſcutitur.

CONSULTATIO XXV.

Caducitas emphyteuſis per receptionem, aut ſimplicem petitionem canonis quando cenſeatur emphyteutæ remiſſa.

CONSULTATIO XXVI.

Gabellarum conductor, aut emptor, quando propter factum principis locantis, aut vendentis fuit impeditus in exactione Gabellarum, an agere poſſit pro damnis paſſis, ſeu lucro etiam amiſſo, ubi latè de remiſſione mercedis conductori facienda.

CONSULTATIO XXVII.

Agi an poſſit criminaliter adverſus uxorem ab hæredibus viri actione furti, vel expilatæ hæreditatis ob ſubreptas viri pecunias,

CON-

ALOYSII MANSI CONSULTATIONUM, *SIVE* RERUM JUDICATARUM *TOMUS PRIMUS.*

PRO D. JOANNE ANDREOLI Contra SPP. DE BONVISIIS.

SUMMARIUM.

1 *Directæ Actiones cedentis ab oſſibus divelli nequeunt.*
2 *Cedens poſt ceſſionē liberare non poteſt debitorem ceſſū.*
3 *Declara num.9.10.11.& 18.*
4 *Procurator revocatus non poteſt liberare debitorem principalem, vel cum eo tranſigere.*
5 *Debitor ceſſus malè liberatus à cedente, an poſſit offerre ceſſionario actionem indebiti contra ipſum cedentem, cui ſolvit, ut à ceſſionario non moleſtetur. & n.6.*
7 *Stipulans pro ſe, & hæredibus, & ſucceſſoribus non poteſt innovare in præjudicium ſucceſſorum. Contra n.30.*
8 *Liberatio gratuita facta à cedente poſt ceſſionem debitori ceſſo etiam ceſſionem ignoranti non valet.*
12 *Hæres ignoraſſe præſumitur ea, quæ omiſit in Inventario deſcribere.*
13 *Ceſſio aut ſit periculo, & commodo cedentis, aut ceſſionarii, vel utriuſque.*
14 *Ceſſio ad commodum cedentis quando facta dicatur.*
15 *Cedere Actiones, vel mandare diverſum eſt.*
16 *Ceſſio quando ad commodum ceſſionarii facta dicatur.*
17 *Ceſſio quando facta dicatur ad commodum cedentis, & ceſſionarii.*
18 *Cedens poteſt liberare poſt ceſſionem debitorem ceſſum, cùm ceſſio eſt facta ad commodum cedentis, & ceſſionarii. Declara, quando debitor ceſſionem non ignorabat. n.23.*
19 *Actiones directæ ex quibus clauſulis remaneant inutiles cedenti. & nu.20.21.*
22 *Angel. in l. Si cum. emptore ff. de Pactis declaratur.*
24 *Liberatio poſt ceſſionem facta debitori ignoranti ceſſionem à cedente etiam ſolas utiles actiones habente valet. & n.26.*
25 *Vigilantibus, non dormientibus jura ſuccurrunt.*
27 *Galeratus de renunciat. lib.1.cap.4.n.83. declaratur.*
28 *Crott. conſ.83. nu.11. declaratur.*
30 *Hæredis perſona ſemper cenſetur in ſtipulationibus adjecta.*
31 *Expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, nihil amplius operari valet.*
32 *Tranſactionis pro validitate quid requiratur.*
33 *Remiſſio facta à cedente poſt ceſſionem per medium tranſactionis debitori ceſſionem ignoranti valet.*

34 *Remiſſio etiam gratuita poſt ceſſionem facta à cedente debitori ceſſionem ignoranti valet, ſi cedens non eſt ſolvendo.*

ADSIT DEUS.

CONSULTATIO PRIMA.

Domini Lælius, & Vincentius Barſotti, & Jo: Andreoli debitores haud modicæ ſummæ pecuniarum Jo: Baptiſtæ Ludovici ceſſerunt eidem menſe Februarii anni 1633. quædam nomina debitorum valoris in totum ſcutorum quindecim mille ſeptingentorum circiter, quæ promiſerunt eſſe vera, & nemini ceſſa, hoc etiam addito pacto. *Che per maggior cautela di detto Ludovici dd. Barſotti, & Andreoli faranno, & opereranno in modo, & in tal maniera, che facendo le coſe poſsibili non ſiano ſcuſati, nè per l'impoſsibili relevati. Che tutti i ſopraſcritti debitori, e ciaſcheduno di loro dentro il tempo di doi anni proſsimi, cioè la metà per tutto Febraro 1634. e l'altra metà per tutto Febraro 1635. haveranno dato, e ciaſcheduno di loro haverà dato le dette ſomme come ſopra reſpettivamente, e da ciaſcheduno di eſsi reſpettivamente dovute al detto Gio. Battiſta Lodovici, ò à chi per lui, &c. ſenz'alcuna eccettione, altrimente intendono, e vogliono eſsi cedenti reſpettivamente, e ciaſcheduno di loro inſolidum eſſer tenuti, & obligati come principali verſo la perſona di detto Gio: Battiſta ò di chi li ſuccederà anco ſingolarmente in dd. crediti, e ciaſcheduno di eſsi, e pagarli di proprio, e queſto non obſtante la preſente ceſsione, acciò detto Lodovici di dd. crediti, ò di quelliche di eſsi dentro detto termine reſtaſſe da riſcuotere, ne ſia dalli cedenti in d. caſo, integralmente ſodisfatto, perche così fu pattuito, fatta però prima da detto Lodovici diligenza circa detta eſattione di avviſare, e fare inſtanza per la riſcoſsione con lettere, come faria di coſe proprie*, uti latius habetur in publico Inſtrumento manu Ser Laurentii Motroni ſub die 26. menſis Februarii anni præfati 1633. confecto. Dictus vero Jo: Baptiſta Ludovici habita ceſsione præfata, cum reperirentur debitor Spectabilium Vincentii, & ejus fratrum de Bonviſiis ceſsit iiſdem eadem nomina debitorum ſibi, ut ſupra paulo ante ceſſa à Barſottis, & Andreoli, ut aliud publicum docet Inſtrumentum manu ejuſdem Ser Laurentii Motroni ſub die 29. menſis Martii ejuſdem anni 1633. conditum.

Poſteà quam verò dictam ceſsionem fecerat DD. de Bonviſiis, idem Jo: Baptiſta Ludovici ſub die 14. menſis Julii ejuſdem anni 1633. convenit, & tranſegit cum Jo. Andreoli, ut conſtat ex alio

 publi-